



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

36. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De ictu.

XXXIII. Similiter & de ictu sine sanguinis effusione de uniuscujuscunque ordinis Clerico in triplo componatur, insuper & ban- nus noster. Et qui non habet unde ad Eccle- siam persolvat, tradat se in servitium eidem Ecclesiæ usque dum totum debitum persolvat.

Lib. 1. Capi-
tular. c. 14.
Lib. 2. Leg.
Longob. tit.
40. c. 6.

Si quis Clericum exspoliaverit.

Ex Concilio Triburiensi.

XXXIV. Ut si qua in ipsos Clericos vel in Ecclesias perpetrata fuerint, id est, si quis Clericum exspoliaverit aut vulneraverit, vel aliquam injuriam fecerit, decimas Ecclesiæ tu- lerit vel retinuerit, si non prius per secularem potentiam dignè vindicatum fuerit, Episcopus ad suam synodum illos malefactores vocet & dignè emendet. Si contempserint venire, ex- communicentur.

Vide Concil.
Tribur. c. 7.

Si quis Clericum verberaverit.

Ex eodem.

XXXV. Si quis Clericum verberaverit vel debilitaverit aut in aliquo læserit, & cano- nicè pœniteat & ad legem emendet, juxta quod in Capitulari scriptum est.

De eadem re. *Ex Concilio Toletano.*

XXXVI. Si quis de potentibus Cleri- cum aut religiosum exspoliaverit, & Episcopus mandaverit eum ad se venire ut audiatur, & contempserit, in invicem mox scripta percur- rant per omnes provinciæ Episcopos, quos-

Concil. Tolet.
1. c. 11.

228 R E G I N O N I S L I B. I I.
cunque adire potuerint, ut excommunicatus
habeatur donec audiatur & reddat aliena.

De pugna & homicidio in atrio Ecclesiæ.
Ex Concilio Triburienſi.

Concil Tri-
bur. c. 4. 6.
Burchard. lib.
3. c. 195.

X X X V I I. Si quis in atrio Ecclesiæ pug-
nam committit aut homicidium, quicquid
pro immunitate violata emendandum est, al-
tario solvatur, cujuscunque fuerit Ecclesia.

De pugna in Ecclesia. *Ex eodem.*

Vide ſuprà
c. 32.

X X X V I I I. Si quis in Ecclesia Clericum
fuste aut gladio percusserit, ut sanguis exeat,
vel de ictu sine effusione sanguinis, juxta quod
in Capitulari scriptum est componatur, id est,
in triplo secundum suam compositionem.

Quod laici de substantia morientium Pre-
sbyterorum suorum nullam portionem
accipiant. *Ex eodem, cap. 11.*

Vide infra in
2. append.
c. 39.

X X X I X. Perlatum est quoque ad san-
ctam synodum quod quidam laici improbe
agant contra Presbyteros suos, ita ut de mo-
rientium Presbyterorum substantia partes sibi
vindicent sicuti de propriis servis. Interdici-
mus itaque ne hoc ulterius fiat; sed sicuti li-
beri facti sunt ad suscipiendum gradum &
agendum divinum officium, ita ab eis nihil
exigatur præter Dei officium. De peculiari ve-
ro sacerdotum nihil sibi usurpent; sed de diti-
bus partibus faciant Presbyteri quod eis vi-
sum fuerit, tertiam, secundum canonum jus-
sa, quibus serviunt relinquunt Ecclesiis.